



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De sententia & re iudicata. Consilium CLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

de causa cognoscere. Quibus omnibus si falsitatem narrationis dicti Henrici pro obtinendo dicto rescripto adjungamus, non video, quis scrupulus restare possit: cum enim omnes tres sententiae pro parte dicti Wilhelmi in duobus instrumentis exhibitae sint conformes, sitque ad omnes processum, cognitionem de instantia praecedente, neque ex illis ulla sit, quae desertionis mentionem faciat; quis non intelligit apertissimo mendacio hoc rescriptum esse extortum? Nam si narraisset veritatem contentorum illarum trium instantiarum, non est praesumendum, Dominum Nuntium contra ius commune & praeter mandatum suum admissurum umquam fuisse huiusmodi tertiam appellationem. Unde merito dicere licet, falsum & mendacem hunc praecatore, nulla ratione rescripto sic contra ius extorto adjuvandum esse, *l. Est legibus C. Si contra ius vel utilit.* Quinimo iustissimam fuisse dicto Wilhelmo occasionem appellandi, ab interlocutoria, quae vos, Venerabilis Domine Praeposite, decrevistis vos huius causae Iudicem competentem, & ex rescripto per meram falsitatem impetrato jurisdictionem fundastis. Quamquam idem Wilhelmus bono consilio id omiserit; ea scilicet spe, quod ab aequissimo Iudice secundum communem juris dispositionem facile impetraret remissionem huius causae ad priores Iudices pro executione: nihil veritus vel detrectans coram eodem postea non tantum super nullitate, sed etiam super iniquitate & injustitia (quamquam rationibus praedictis attentis, ad illud postremum minime teneatur) causam ter actam & finitam quarto agere & prosequi. Quae praescripta sufficere arbitror pro monitorio ac desiderio dicti Wilhelmi, submittens ea correctioni perspicacissimi Domini Iudicis, qui etiam sine nostra hac admonitione, quae statuenda hic erant facile perfecturus erat: sed vixit nos apertissima huius contentationis improbitas, & D. Advocati partis adversae in causa iniquissima patrocinium.

De sententia & re iudicata.

SUMMARY.

Sententiarum trium conformium executio.

1. Iudex deferendo appellationi omnem jurisdictionem in ea causa abdicat.
2. Sententia tres conformes exequi debent, etiam si tertia sit lata post appellationem ab interlocutoria.
3. Apostolorum dubia responsio pro delatione est.
4. Appellationi deservit qui dicit se non admittere nisi quatenus de iure teneatur.
5. Exceptionum generalis exclusio non pertinet ad eas quae notoriae sunt.
6. Sententia tres conformes executioni mandanda nisi nullitas subsit evidens.

CONSILIUM CLIX.

SUPER articulo alterationis novissime in causa appellationis inter Petrum Nootstock, & Wilhelmum van Dalem incidentem, an secundum petitionem partis appellatae procedendum prius sit ad executionem trium sententiarum conformium, an propter easdem tres sententias D. Decanus causam a se abdicare debeat, non admodum insistendum est. Primo

quod falsa sit partis appellatae allegatio de tribus sententiis conformibus. Nam quamvis sententia Domini Decani S. Martini conformis sit sententiae Decani Sanctae Crucis; non tamen conformis est sententiae D. Officialis primo loco exhibitae, tam in materia quam verbis: cum illa principale negotium magis respiciat, haec duae posteriores super devolutione appellationis latae sint: quod sine operosiore demonstratione ex earum lectione deprehendere licet. Secundo, quod data seu praesupposita earum conformitate, nihilominus secundum petitionem appellati decernendum sit: ob id, quod postrema sententia Decani S. Martini lata sit post interpositam appellationem a quodam decreto ejusdem D. Decani, ut ex collatione datarum manifeste deprehenditur, cuius appellationis causa nunc hic indecisa pendet. * Cui quidem appellationi dictus Decanus etiam detulit, & deferendo omnem jurisdictionem a se abdicavit, *c. cum appellationibus §. si vero De appell. lib. 6.* ita ut sententia postea per eum lata, & alia quaecunque per eum & coram eo acta juris firmitatem habere nequeant, *glos. in Clem. 1. in verb. non deferens De dolo & contrum. Cardin. Zabarella cons. 32.* * Proinde quamvis dum appellatum est in tertia instantia ante tertiae sententiae definitivae pronuntiationem ac deinde non delato appellationis postea tertia sententia alijs duabus conformis pendente tali appellatione profertur, executio trium sententiarum conformium differri non debeat, *Clem. 1. §. fin. de sent. & re iudic.* aliud tamen est, si appellationi a gravamine Iudex detulerit, *Lanfrancus de Orian. in c. Quoniam contra nu. 79. de probat.* quia, ut diximus, deferendo a se omnem jurisdictionem abdicasse censetur, & sic utilem aliquam sententiam proferre non potest, quae dici queat alijs prioribus conformis. Quod autem dictae appellationi ante pronuntiationem sententiae definitivae detulerit Decanus S. Martini, patet ex ipso iustrumento appellationis per appellantem in hac causa exhibito, in quo continetur dictum Decanum his verbis apostolos dedisse, *Appellationi vestrae non aliter quam ius deserti deservimus.* * Quibus quidem verbis detulisse credi debet; quemadmodum detulisse videri debet, qui simpliciter dedit acta pro apostolis, & generaliter dubia apostolorum responsio pro dimissione seu delatione accipi debet, *Franc. Aretin. in l. Qui in Domini nu. 3. De testam. Bal. in l. de statu sub. finem De testam.* * Imò quod magis est, decidit Cardinalis Zabarella, in *Clem. 2. §. fin. nu. 4. de appell.* quod si Iudex respondendo de apostolis dicat se non admittere, nisi quatenus de iure teneatur, haberi debeat, pro non respondente quoad apostolos. Iam verò manifestum est, Iudicem non exhibentem apostolos non posse ulterius procedere, & si procedat, processum ejus esse invalidum & irritum, *c. 1. cap. Ut super, c. ad eo De appell. lib. 6.* sic ut hoc respectu propter notoriam & ex ipso auctorum primo conspectu relucens nullitatem, nulla concedi debeat executio.

* Ut generaliter lege vel statuto excludente exceptiones, non intelliguntur exclusae quae sunt notoriae, *Bal. in l. 1. C. Ne liceat ter provoc. Delt. in cap. Inter cetera. de sent. & re iud.*

Unde etiam aperte decidit Baldus, in *d. l. 1. nu. 2. 6* & consuluit etiam Oldradus, *consil. 106. Quod litera.* *Lnd.*

Ludi Rom. in l. si verò §. De viro Solutio matrim. nu. 62. in 32. fallentia, profitendo se ita iudicasse, Clementinam constitutionem de executioni mandandis tribus sententijs conformibus, non obstante exceptione nullitatis, Clem. 1. de sent. & re judic. locum non habere, si nullitas evidens ex actis deprehendatur.

Concludo ergo ad ulteriora procedendum esse, eo etiam attento, quod Dominus Decanus decreverit se iudicem competentem, & pars appellata libellum appellatorium admisit, & eidem etiam respondit.

De sententia & re judicata.

SUMMARY.

Expensæ litis.

1. Actori imputandum quod de suo iure diligentius non inquisierit.
2. Testis singularis quando faciat semiplenam probationem.
3. Iuramentum in supplementum probationis cui deferri debeat.
4. Expensæ compensandæ cum ex delatione iurisdictionis sit condemnatio.
5. Expensæ effugit reus qui mature liti cedit.
6. Culpa lata dolo proxima.
7. Actor qui instrumenta in finem litis retinet, illa postea exhibendo in expensis condemnatur.
8. Remissio canonis quando emphyteuta fieri debeat.

CONSILIUM CLX.

DE expensis litis ferè nunc tantum est quaestio in hac causa inter Conventum Albarum Dominarum Oppidi Lovanienfis agentem, & Iacobum Scharon Reum, an vel alterutra, & utra pars ad illas condemnari, vel illarum compensatio fieri debeat. In qua imprimis videtur Reum hujus causæ extra dictarum expensarum parti agenti refundendum, periculum esse. Etsi enim in actore renuntiante liti seu ab ejus prosecutione desistente, majus sit periculum quoad condemnationem seu refusionem expensarum, etiam si ab initio justam causam litigandi habuerit, & causa cur desistat postea supervenerit, * quasi scilicet actori imputari deberet, cur non diligentius de jure suo ante ingressum litis inquisierit, & sic firmiore fixioreque pede litem sit ingressus, cum in ejus potestate fuerit quando litem institueret, *Paul. Castr. in l. De stitisse nu. 5. D. De iudicij;* in reo tamen, qui non ex sua, sed actoris voluntate etiam invitatus convenitur, l. Inter stipulantes §. si Stichum De verb. oblig. & spatium deliberandi investigandique non habet ante litem, praesertim cum non ex suo, sed ex alterius vel contractu, vel facto convenitur, & sic perinde instructus esse non potest, excusationis major iustiorque est occasio, l. Qui in alterius de reg. iur. l. Si quando C. de dilat. Steph. Bertr. aud. cons. 146. Iusta causa vol. 7. Proinde cum Reus in hac causa ex proprio contractu aut suo facto non fuerit conventus, sed alterius, ad solutionem annui redditus, quem nec ipse nec eius majores promiserunt, & de cujus veritate seu subsistentia agentes certa & indubitata instrumenta nulla exhibuerunt, & quæ exhibuerunt concludenter non convincant aut

Conf. Wamf. Tom. I.

proberent, quod hic redditus debeatur ex fundo, quem Reus ab hæredibus eorum, qui hunc redditum retrò prateritis temporibus dictis agentibus solverunt, comparavit, propter cujus defractionem Reus ad continuationem solutionis urgeri posset; cum hic fundus nec ex magnitudine, nec ex situ, nec alijs qualitatibus respondeat fundo, cujus mentio fit in instrumentis exhibitis; quemque fundum Reus absolute sub onere ejusdem redditus non comparavit, sed sub conditione illius praestandi, si deprehenderetur hunc redditum inde exire: merito potuit Reus se huic agentium petitioni opponere, saltem tantisper, dum liquidò ex probationibus agentium constaret, hunc à Reo comparatum fundum, saltem pro parte eundem esse cum eo, qui in exhibitis instrumentis hoc redditu oneratur. Neque enim debebat Reus propter periculum expensarum, nisi in comperta veritate, liti cedere aut iustitiam indiscussam vel indefensam relinquere, l. Illud de pet. hæred. quin tantisper saltem dum de agentium intentione plenè & indubitatè constaret, potuerit eam sustinere: quod in proposito dici non potest ex prædictis instrumentis; neque etiam ex testimonijs ex parte agentium receptis. Nam ex duobus testibus, quos solos agentes in testimonium prodixerunt, posterior nihil deponit, unde indubitatè colligi possit hunc fundum, quem Reus ab executoribus testamenti quondam Catharinæ de Rycke comparatum possidet, esse eundem, cujus instrumentum constituti hujus redditus meminit; sed magnitudine differre, eundemque per Reum emptum esse sub conditionali onere hujus redditus, si exinde inveniretur deberi. Prior verò etsi satis apertè testificetur hunc fundum, quem Reus possidet in anno 1496. suo patri adductum fuisse sub hujus redditus onere, tamen cum id hic testis non deponat ex propria scientia, sed per relationem ad copiam instrumenti hujusmodi divisionis, nec non ad libellum quendam dicti sui patris, nihil potest concludenter inferri, quamdiu hujusmodi instrumentum & libellus in iudicium non reproducuntur, *arg. Aurb. Si quis aliquo C. De edendo.* Cum alioqui etiam exhibita ipsorum copia nihilo magis concluderet hoc testimonium; cum nuda copie nulla sit auctoritas, nulla fides, c. 1. De fide instrum. l. 2. D. eod. tit. Et hac in parte in reprehensionem venit ignavia seu negligentia agentium, qui viso hoc hujus testis testimonio non hoc egerunt, ut libelli aut instrumenti divisionis istius editio fieret, vel saltem quod ex Registris Scabinorum Lovanienfium aliud describi statim non curaverint, & sic Reo causam non dederint desistendi à defensione hujus litis.

Quare nec movet ulterius ejusdem primi testis testimonium de alia sequenti divisione, quam mortuis suis parentibus se fecisse dicit cum dicta Catharina sua sorore. Nam & ea in parte est ipsius depositio relativa ad instrumentum divisionis, quod itidem judicialiter exhibitum non est; sic quod hoc ipsius testimonium per se stare non possit. Et ut posset, unicum & singulare foret, atque ita sine fide & effectu plenæ probationis, l. Iurisdictionis C. de testib. imo etiam semiplenæ, ob id, quod hujusmodi depositio tendat ad exonerationem testis, ne onus hujus debiti converteretur in

Bb 4

cum